



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

256. Christus prædicat Iudæis, se exaltandum in Cruce.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

I. Iesus venit Nazareth, ubi erat nutritus, & intravit secundum consuetudinem suam die Sabbati in synagogam, & surrexit legere. Et traditus est illi liber Isaiaë Prophetæ, &c. *Luc. 4. v. 16. & 17.* Et ait illis: Vtique dicetis mihi: Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac & hîc in patria tua. Ait autem: Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus est in patria sua. *Luc. 4. v. 23. & 24.*

II. Et surrexerunt, & ejecerunt illum extra civitatem: & duxerunt illum usque ad supercilium montis, super quem civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum. Ipse autem transiens per medium illorum, ibat. *Luc. 4. v. 29. 30.*

III. In illo tempore dixit Iesus turbis Iudæorum: Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum. Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum. Iesus autem abscondit se, & exiit de templo. *Ioan. 8. v. 58. & 59.*

## MEDITATIO CCLVI.

*Christus prædicit Iudæis se exaltandum in cruce.*

I. **M**ulta habeo de vobis loqui, & iudicare: sed qui me misit, verax est: & ego

ego, quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo. *Ioan. 8. v. 26.*

II. Et non cognoverunt, quia Patrem eius dicebat Deum. *Ioan. 8. v. 27.*

III. Dixit ergo eis Iesus: Cùm exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum, & à meipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, hæc loquor: & qui me misit, mecum est, & non reliquit me solum: quia ego, quæ placita sunt ei, facio semper. *Ioan. 8. v. 28. 29.*

## MEDITATIO CCLVII.

*Caiphas de morte Christi saluti-  
fera prophetat.*

I. **C**ollegerunt Pontifices & Pharisei concilium, & dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum: & venient Romani, & tollent nostrum locum, & gentem. *Ioan. 11. v. 47. & 48.*

II. Unus autem ex ipsis, Caiphas nomine, cùm esset Pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. *Ioan. 11. v. 49. & 50.*

III Hoc